

DISSERTATIO MEDICA

RUBÉOLA

D. GEORGE HARRIS M.D. P.H.D.

DISSERTATIO MEDICA

INAUGURALIS,

DE

RUBÉOLA.

DISSERTATIO MEDICA
INAUGURALIS,

DE

RUBEOLA:

QUAM,

ANNUENTE SUMMO NUMINE,

EX AUCTORITATE REVERENDI ADMODUM VIRI,

D. GEORGII BAIRD, SS. T. P.

ACADEMIAE EDINBURGENAE PRAEFECTI;

NECNON

AMPLISSIMI SENATUS ACADEMICI CONSENSU,

ET NOBILISSIMAE FACULTATIS MEDICAE DECRETO,

Pro Gradu Doctoris,

SUMMISQUE IN MEDICINA HONORIBUS AC PRIVILEGIIS

RITE ET LEGITIME CONSEQUENDIS;

ERUDITORUM EXAMINI SURJICIT

AUDÖENUS DAVIES,

CAMBRO-BRITANNUS,

SOCIET. MED. REG. EDIN. SOC. EXTRAORD.

Kalendis Augusti, horâ locoque solitis.

EDINBURGI:

EXCUDEBANT J. PILLANS ET FILIUS.

MDCCCXXI.

DISSERTATIO MEDICA

IN ADOURABILIS

DE

RUBROLA:

QUAE

AVGUSTI CAESARIS

DE ACADEMIA MEDICAE LONDINENSIS

THOMAE TELFORD

D. GEORGI BARRIS M.D.

ACADEMIAE MEDICAE LONDINENSIS

ARMIGERO

PRIMUM

IN ACADEMIA MEDICAE LONDINENSIS

BY HONORABILIS SOCIETATIS REGIAE SOCIORUM

AUCTOR

THOMAE TELFORD

NUMEROS IN MEDICINA HONORIBUS ET TITULIS
Tunc per universam, haec, quantulumvis sint,
sociare voluit: laboribus sic fatior, quantum se habere quam
tunc amissionem in me partemque carum collatum existimem.
Dum meos et volens, seris in eorum rebus
feliciter semper affert, seris et solite vo-



Edinburgh

Robert & Agnes Blacklock

Printed by Robert & Agnes Blacklock

Edinburgh

Robert & Agnes Blacklock

Printed by

VIRO CLARISSIMO

THOMÆ TELFORD,

ARMIGERO,

SOCIETATIS REGIÆ SOCIO, &c.

AUCTOR.

TIBI, Vir amicissime, hæcce, quantulicunque sint, sacrare volui: lubensque sic fateor, quanti te habeam quantique amicitiam in me patremque carum collatam existimem. Diu vivas et valeas, serus in cœlum redeas, auræque tibi felices semper afflent, spero et solícite voveo. Vale.

EDINBURGI,
Kalendis Augusti MDCCCXXI.

VIRO SPECTATISSIMO,

MARSHALL HALL, M. D.

SOCIET. REG. EDIN. SOC. &c. &c. &c.

MORUM URBANITATE,

HAUD MINUS QUAM INGENIO

ET

SCIENTIÆ CULTURA INDEFESSA

INSIGNI ;

HANC DISPUTATIONEM,

ADMIRATIONIS ET AMICITIÆ PIGNUS,

DAT, DICAT, DEDICAT

AUCTOR.

CORRIGENDA.

- Pag. 2. Lin. 7. *pro opinor lege opiner*
— 7. — 3. *pro secundum lege secundam*
— 9. — 9. *pro tentali lege tentati*
— 10. — 8. *pro contegisse lege contigisse*
— 14. — 11. *pro signa lege signis*
— 18. — 3. *pro virumque lege viriumque*
— 30. — 15. *pro carendum lege cavendum*

DISSERTATIO MEDICA

INAUGURALIS

DE

RUBEOLA.**ANTIQUITAS MORBI.**

QUAMVIS inter plerosque medicos convenit, hujus æque ac cæterorum exanthematum antiquos inscios fuisse, mihi tamen incertum fateor etiamnum videri. Hippocratem, Celsum et Galenum, de aliis morbis et longe levioris discriminis, tanta cura, tanto labore disserentes, has febres humano generi tam pestiferas, si in Græcia aut Italia, ante Arabum tempus, extitissent, haud silentio præ-

terituros fuisse, arbitrantur. Contra hæc, quamquam neque Rhazi affirmanti, neminem Galeno sedulo perlecto, posse asserere, hunc mala proposita prorsus ignorasse, neque Batemanno assentior, eandem sententiam argute vindicanti, parum abest tamen quin opinor, scripta ipsorum grave quidem ut-
cunque diffusum testimonium præbere, quo opinio diversa nitatur. Satis habebant Græci et Romani, Batemanno auctore, hasce omnes febres communi nomine contagiosas nuncupare; a Galeno quoque et antecessoribus notabantur sæpe eruptiones, febres malignas et contagiosas comitantes, quæ Ecthymata, Erythemata, Exanthemata, &c. nominatæ sunt. Fortuita tamen hæc nomina contingere poterint, aut ad diversas formas pertinere, quas in variis hominibus idem morbus assumit.

Non mihi tamen in animo longum sermonem de hac re ordiri, et propter obscuritatem, et propter leve præ aliis momentum quod ad veram utilitatem.

NOMEN MORBI.

Est Blacciæ Rhazis; Variola Cholerica Avicennæ; Bothor bovillæ Arabum, quia pecora ei obnoxia credebantur, et ab iisdem Tersæ quoque nominabatur. Apud primos Europæ scriptores, vocabatur Morbilli. Restitutio nominis Rubeolæ, propter rubrum colorem eruptionis a traductoribus Haly Abbatibus accepti, Sauvagio tribuenda est. In Germania priscum nomen adhuc retinetur, et ibi Rubeola idem ac Willani Rosealia valet.

HISTORIA MORBI.

Primam dilucidam historiam hujus morbi Rhazi debemus Galeno Arabum habito, post quem usque ad ævum Sydenhamii, *interregnum* extitisse videtur; et hic obiter dicere licet, nulli classi morborum unquam minus quam exanthematis illuxisse. Sydenhamius, cui, si verbis GREGORII utar, plus quam ulli

alii scriptori jam inde a Hippocrate ad hunc diem, debemus, tam eximiam historiam Rubeolæ regularis tradidit, ut si notas, si indicia spectemus, vix quidquam illius descriptioni hucusque adjectum sit; et eum rerum adeo observantem, silentio præteriisse morbi speciem ab æquævo Mortonno anno 1672 sæviisse memoratam, et ab eo propter violentiam Pestem Mitiozem recte nominatam, jure miramur. Speciem quoque anomalam anno 1674, grassantem eum tam breviter attingisse, ægerrime ferendum est.

Compluribus rebus, Sydenhamii præsertim silentio, et agendo ut eos Scarlatinæ assimilaret, prohiberi videmur ne Mortonno Morbillos Epidemicos et vere Malignos eosdem ac Rubeolam judicemus. Posteriores tamen et recentes contagiones, et notitia nostra Rubeolam et Scarlatinam esse morbos discretos, a specialibus contagibus inter se diversis, orientes, et aliâ aliam partem corporis male habentibus, hanc opinionem, ut spero, delerunt, et simul effecerunt ne opus sit ut Mor-

toni theoriam animadvertam. Supervacaneum foret, varias contagiones diversis temporibus sævientes, singulatim exponere. Quæ harum Plymuthæ anno 1742 evenit, de qua Huxham * pauca scripsit, speciem supra memoratam retulisse videtur. Uti ostendam morbum a Watsono, in quarto volumine libri cui nomen, "London Medical Observations and Inquiries," descriptum, a Willano et Batemanno Scarlatinam perperam vocari, verba Armstrong quæ mihi et placent et coarguunt, optime proferam. "Dr Willan attempted to shew that Sir William Watson mistook the Scarlet Fever for the Measles; but the ground of his objection is perfectly untenable, and it is to be regretted that this able physician should have advanced so vague an opinion on the subject. Among numerous proofs that might be adduced in support of the accuracy of Sir William Watson's judgment, it is enough to mention, that the peculiar, sloughy sore in

* Huxham de Aere et Morbis Epidemicis.

“ the throat, which attends all the aggra-
 “ vated forms of the ardent Scarlatina, was
 “ absent in the disease that he has describ-
 “ ed; indeed, the two most prominent pecu-
 “ liarities of the Epidemic, the early appear-
 “ ance of the Eruptive Fever, and the putrid
 “ symptoms of the last stage, I have myself
 “ sometimes witnessed in the Measles.”

Doloris est contagiones quas Mortono et
 Watsono videre contigit, Putridam Rubeo-
 læ speciem ab iis judicari. De horum poste-
 riore, scriptor modo citatus dicit: “ This
 “ defect, however, was interwoven with the
 “ pathology of the times, and is not, there-
 “ fore, strictly his own. So far have we ad-
 “ vanced since then, that no correct writer
 “ would now call any disease putrid, the pri-
 “ mary symptoms of which were highly in-
 “ flammatory.”

De epidemia Glasguæ vulgo grassante, cu-
 jus historiam Watt medicus ejusdem urbis
 memoriæ tradidit, paucas animadversiones

lubens protulissem. Ad hoc faciendum, eo magis propter vim morbi lethalem incitatus sum, nulli antecedenti contagio secundum. Recentia cladis et fides scriptoris, si deessent alia documenta, benignam speciem et malignam coarguunt. Frustra, tamen, hoc volumen quæsivi.

Nolo præfationem ad finem perducere, prius quam de re notatu digna a scriptore modo memorato primum patefacta, mentionem fecero. In appendice libri quem de pertussi scripsit, observationibus referta de Variolæ et Rubæolæ mortalitate comparativa, traditur. Rem nullo ornatu narrabo, unius et alterius scriptoris auctoritate adjecta.

Res ita se habet.—Parochiarum archiva cum scrutaretur ut de quibusdam ad pertussim pertinentibus, certiores sese faceret, consternatus et spe destitutus reperit, numerum eorum qui post vaccinationem expertam, intra annum decimum, extremum diem obierant, minime decrevisse; etsi eorum qui Va-

riola, decem annis novissimis decesserant, numerus quadruplo minor quam decennio præcedente fuerit. Causam hujus rei invenire cupiens, omnium tabularum illius urbis (Glasguæ) inquisitionem exactam impiger inchoavit, unde decemplicem numerum liberorum, a vaccinationis introductione Rubeola interiisse, constabat. His de causis colligere cogebatur, mutationem aliquam in corpore a variola necessario nasci, efficientem ut qui ea laborarunt, melius quam alii Rubeolam postea sustineant.

Gilbertus Blane, miles, capitis noni Medico-Chirurgici Diarii Supplemento, apud 4tæ voluminis, paginam 466tam, de utilitate magna e vaccinatione generi humano preveniente loquens, dolorem testatur inveniendò esse quæ utilitatem ejus in dubium vocarent. Quamvis non adeo usque Londini quam Glasguæ vaccinatio excoleretur, quærendo reperit quanto minor eorum qui variola, tanto majorem esse numerum eorum qui Rubeola periissent. Eorum qui intra decennium 1813

annum antecedens, extremum diem Rubeola laborantes obierant, numerus duplicatus erat, cum eorum qui, decennio præcedente, Variolæ cesserant, ad dimidium redactus esset*.

Hanc annotationem adjicit,—Dr Stranger, infantium expositorum, prochotrophii medicus, Societatem Medico-Chirurgicam certiorum fecit, duos tantum mortuos esse e 131, qui Rubeola post vaccinationem tentali essent, se, archivis inquisitis, comperisse. Ex 131 qui Rubeola post Variolam laborarant, 11, ut in iisdem tabulis repertum est, morbo confecti sunt. Hoc quantum est, monstrat, nihil vaccinationem nocere.

Macgregor, asyli regii militaris Schelsegæ chirurgus, in tractatu quinto volumini ejusdem diarii inserto, de morbis ab asylo pri-

* Vide etiam Henrici medici Mancuniensis epistolarum ad Marcetum medicinæ doctorem exaratarum excerpta quinto volumini ejusdem diarii inscripta de Rubeola raptis.

num instituto, anno 1804, ad kalendas Januarii, anno 1814, liberos male habentibus, quædam memorans, ait, ipsum munere chirurgi in illis ædibus perfugium plurimis infantibus præbentibus, per decem annos et amplius, functum, ad hanc sententiam pervenisse, Rubeolam non magis lethalem vaccinatæ, nec quidem acriorem contegisse, quam iis qui variola laborârant.

DEFINITIO RUBEOLÆ.

AD ordinem Exanthemata Culleni et Willani pertinet, quamvis diverse hanc morborum classem egregii hi medicinæ professores definiunt. Ille in Nosologia Rubeolam inter exanthemata ponit, quippe contagiosam, hominem per vitæ decursum semel tantum corripientem, febre eam scilicet eruptionem præcedente. Hic in ordine Exanthemata eruptiones collocat Anglice "Rashes" vulgo nominatas, maculas nempe, externa specie et magnitudine inter se dissidentes, sed de fe-

bris aut contagii præsentia, morbi spatio aut terminatione, nullam mentionem facit.

DE RUBEOLÆ VARIETATIBUS.

DUAS species Cullenus commemorat, Rubeolam vulgarem et Variolodem; hic tamen morbus longe diversus est, ad Ordinem Vesiculæ Batemanni pertinens, a quo Herpes Phlyctænoides appellatur. Rubeolam vulgarem in tres species Cullenus distribuit. Quæ sequitur tamen distributio, primam speciem tantum Culleni complectens, a scriptoribus fere recipitur. I. Rubeola vulgaris seu Morbilli regulares, qualis videtur morbus, nullo casu adverso solitum decursum mutante. II. Rubeola Anomala, Morbilli Anomali, Morbilli Epidemici*, vel Rubeola Putrida, has formas morbi complectens, queis solitus cursus impeditur: et III. Rubeola

* Morton, Huxham.

Anginosa, vel Rubeola Cynanche stipata. Duæ varietates præter has, a Willano præsertim notantur, Rubeola sine Catarrho; hæc tamen, ubi nec febris nec oculorum suffusio adsunt, Rubeolæ febrilis metum non adimit; menses complures, vel quoque duo ipsi anni inter eam et quæ subsequitur Rubeolam febrilem, intercedere visi sunt. Rubeola Nigra, quæ, sub eruptionem decedentem, purpuro-cinereum colorem cito assumit. Hoc phenomenon, etsi parentes perterret, prorsus innoxium est, et octo vel decem dierum spatium evanescit.

Rubeolam regularem et irregularem operis mei instituti fines decrevi. In secundo capite voluminis quinti Edinensium de Medicina Tractatum, Rubeolæ anginosa historia satis exacta reperiri potest.

Signa quæ Rubeolam vulgarem comitantur, propriis meis observationibus, Novi Edinburgi Dispensario cum præsto adessem, cognitis, partim profero; et ea describam sicut

apud infantes videntur, nos siquidem tenera ætate hic morbus fere aggreditur; non propterea quod tunc magis quam ætate provectiore ei obnoxii sumus, sed quia ætatem virilem vix attingere possumus priusquam in morbum tam facile contractum incidamus. Quidam arbitrati sunt, adultos ægrius quam infantes, Rubeolam perferre. Habitus corporis formati signa in iis aliquanto levare, et vitæ institutio nonnihil valere forsitan possit, sed medendi ratio fere eadem est. Morbum plerumque gravidæ bene sustinent. Fœtus quoque in utero sine injuria Rubeola teneri potest; quidam enim, eruptione adhuc manente, in lucem prodierunt.

Hic morbus contagione excipitur, et fere circa quartum vel quintum annum. Mense Januario, secundum Sydenhamium, vulgo grassari incipit, et usque ad æquinocitii verni accessum, plus plusque indies vulgatur; hoc tempore ad summam perventum est, et deinde iisdem passibus decrescit, sub medianam æstatem omnino discedens. Nullum

tamen aeris statum morbillosum existere, serio vult Willanus, qui ait, huic rei per complures annos sese attento animo studentem, asserere posse, initio, progressui et remissioni hujus morbi, ejusmodi tempora minus adesse. Mensibus Novembre et Decembre, ut ait idem, sæpius contagiosus est, vere prope modum quiescit, et media æstate late iterum diffunditur.

SIGNA RUBEOLÆ REGULARIS.

FEBRIS quæ Rubeolam regularem consequitur, est Synocha Culleni. Signa cattarrhalibus destillationi similibus, vel tussi, e frigore orientibus, hic morbus prænunciatur. Calor corporis augetur; durus et celer fit pulsus; lingua albida, humida et circa marginem præter solitum rubra; oculi languidi, madentes, aliquanto suffusi, palpebris parum turgidis. Nares e quibus fluit humor tenuis crebrum sternutamentum excitans, sæpe fricat æger. Est quoque frequens arida tussis,

non sine raucitate et dyspnœa, sæpe cum asperitate vel levi gutturis dolore. Lassitudo; anxietas, somnolentia maxima; soni et lucis intolerantia; frontis dolor vel gravitas; anorexia; nausea; vomitus; diarrhœa; dejectiones subvirides in dentientibus, signa adsunt. Lecto quoque nocte stratus jactat se æger, dormiens ingemit fortasse et suspirat. Subsultus tendinum, spasmi membrorum, interdum delirium, sæpius coma, morbo graviore superveniunt: hoc quidem signum Rubeolam toties comitatur, ut a quibusdam medicinæ professoribus, inter ejus indicia numeretur. Omnia signa ingravescent donec efflorescentia erumpit, quæ quarto die plerumque manifesta fit, e maculis constans puniceæ coloris, pulicum morsus referentibus, fronti, faciei et collo conspersis, in fasciculos confertis; increscent, digitis admotis percipiendæ, sed sensum oculorum eludentes, et pectus, abdomen, partesque extremas postea afficiunt. Vesiculæ lymphaticæ et miliaris, ubi efflorescentia in summo est, diversis partibus corporis videntur. Maculis rubris,

earum quæ supra descriptæ sunt speciem referentibus, sensum asperitatis in thorace, secundum Willanum, facientibus, fauces operiuntur, et raucitatem a catarrhali inflammatione primaria proficiscentem, adaugent.

Figuram earum semilunarem, de qua mentionem faciunt Willanus et Batemannus, nunquam mihi contigit videre. Mei ipsius experientia adeo modica est ut fidem hujus observationis suspectam recte habuerim; cæterum amicus meus Dr Zuckerbecker, vita nuper defunctus, juvenis summo acumine et sedulitate præditus, in dissertatione inaugurali, idem sese experiendo didicisse ait.

Ubi primum prodit eruptio et colore amethystino se induit, signa febris et superficiiei corporis calor increscunt, potius quam, ut in Variola levantur, et ita usque ad desquamationem perstant, ubi leviora evadunt; ita tamen non semper evenit, febris quippe, efflorescentia et signis eam comitantibus remotis, sæpe augetur. Tussis quoque et dyspnœa

increscunt, humoris oculos versus fluxus, somnolentia, et anorexia, perstant. Vomitus vidi, etsi eruptione prorumpente, Sydenhamius, Burserius, Sauvagius, &c. eum desinere, ferunt. Quinto die efflorescentia maxime vivida est, et si pleni corporis æger est, hoc tempore, vel eruptione finita, signa catarrhalia facile graviora fiunt, vel in acutam inflammationem transeunt.

Morbus in summo nunc dicitur esse, signis violentis pedetentim remittere incipientibus; sonum et lucem, primum adeo intolerabilia, æger nunc nihili facit, minuitur cibi fastidium. Die sexto vel septimo, efflorescentia a facie evanescere incipit, dum in trunco et partibus extremis, immutata permanet. Octavo die, a facie; et nono ab omni corpore, cum febre penitus discedit, corpus, secundum Sydenhamium, quasi furfure obductum, relinquens. Hoc fere tempore, si non antea, supervenit diarrhœa, per aliquot dies molesta.

RUBEOLA IRREGULARIS, SEU MALIGNA.

FORMAM typhoidem hæc species plerumque ostendit, pulsu exili, celeri atque debili, virumque maxima prostratione indicatam. Watsono auctore, qui hujus varietatis historiam perspicuam prodidit, et cujus in gradum primum et secundum distributio, ab Armstrong, divisio pathologica eximia habetur, pulsu debili, parvo et celeri, summa anxietate, oppressione et inquietudine magna, lingua foeda, faucium rubore, siti vehementi, ophthalmia, tussi sine excreatione, et dyspnœa, denotatur. Secundo die post morbi impetum, corpus efflorescentia operitur: hac circa quartum vel quintum diem discedente, tussis, anxietas et dyspnœa, augentur, et diarrhœæ vel delirii accessus, mortem adesse testantur. Os, gingivæ et genæ foedis ulceribus sæpe corripiuntur, et viscerum abdominalium, pulmonis et aliarum partium corporis inspectio frequenter patefacit. Non-

nulli morbo superstites, vel sex ipsis hebdomadis post ejus decessum, debilitate insequente abripiuntur. Hujus noxæ funestæ ejusmodi signa sunt, unde Rubeolam putridam nomen verisimile est accepisse.

DIAGNOSIS.

SIGNIS catarrhalibus quibus incipit, et papularum eruptione eam subsequente, adeo luculenter Rubeola denotatur, uti hoc cum aliis exanthematis haud facile artis medendi peritus confundat. Huic cum Scarlatina quædam signa communia sunt, et quoniam ratio medendi huic idonea, illi multifarie inepta est, plurimum interest ut alteram ab altera distinguere possimus.

Signis catarrhalibus, huic morbo quidem necessariis, Rubeola semper incipit; scilicet oculorum rubore et lacrymatione, sternutamento, raucitate, tussi, dyspnœa, &c. Hæc signa scarlatinæ plerumque desunt, ei saltem

minime necessaria sunt, et pro his, signis cynanches vel anginae, incipit. Quae comitatur febris fere ardentior est, et corporis in scarlatina aestus multo major. Citius quoque videtur eruptio, secundo nimirum vel tertio die; cum in Rubeola quarto fere vel serius. Species quoque eruptionis notatu digna est: in Rubeola e *papulis* iisdemque leviter eminentibus constat, cum in scarlatina *maculis* vel *pustulis*, coloris rutili, plerumque coalescentibus. Harum denique affectionum sequelae valde inter se dissident; quippe scarlatinam fere subsequuntur *anasarca*, et aliae interdum effusiones hydropicae, et nonnunquam hydrocephalus acutus. Scarlatinæ quidem qualitas peculiaris est, ut ad effusiones serosas sit maxime proclivis. E contrario, cum per totum Rubeolæ decursum, determinatio ad pulmones magna sit, ita vel ad pneumoniam, vel si corporis conditio prava est, ad ipsam phthisin pulmonalem, admodum proclivis est. Alia indicia esse, haud ignoro; hæc tamen mihi satis videntur, quibus affectionis speciem distinguere possimus.

Parum periculi est ne Rubeolam cum Variola confundamus. Cum in scarlatina, tum in variola, signa catarrhalia adesse non necesse est. Hujus initium stomachi dolore stipatum est, ubi premitur aucto et vomitu, quæ inter Rubeolæ initia non observantur. Præter hæc, in variola e pustulis pro papulis constat eruptio; quinto quoque die abit febris, et pro desquamatione crustatæ decedunt pustulæ, scilicet pus exsiccatum et non cutis desquamata. Satis sunt hæc notæ, mea opinione, ut horum malorum alterum ab altero distinguamus.

CAUSA EXCITANS.

CONTAGIONEM aut virus speciale esse causam excitantem Rubeolæ, res notissima est. Ejus naturam, proprietates et agendi rationem, nos ignorare necesse est, quia nostros sensus ipsa contagio latet, et effectibus tantum innotescit. Eundem hominem, ad in-

star contagionum aliarum specialium multarum, semel tantum per vitæ decursum, plerumque aggreditur. Bis eidem evenisse, firmiore auctoritate, ut reor, comprobatum est, quam ut de eo dubitetur*. An per lymphaticas subcutaneas absorbeatur, an in corpus per pulmones virus recipiatur, incertum est. Posteriore hac ratione id recipi, verisimile est, siquidem per actionem ejus membrana mucosa pulmonis prima afficitur, quod signis catarrhalibus quibus semper hic morbus incipit, confirmatur. Hæc signa quoque leviora sunt ubi per inoculationem Rubeola transfertur, forsitan quia primitus pulmonibus contagio tum non admovetur. Rubeolæ in sanguinem ægri inoculatione propagatio, plane ostendit, contagionem, utcunque recipiatur, cum fluidorum massa circulante revera commisceri. Sanguineos denique et plenos, pejus quam debiles, hæc contagio

* Vide "Transactions of a Society for the improvement of Medical and Chirurgical Knowledge," et ibi ad pag. 258. vol. 3. tractatus duos auctore Baillie.

habere videtur; qua de causa fortasse, speciem putridam Rubeola raro ostendit.

CAUSA PROXIMA.

QUUM signa catarrhalia pars præcipua hujus morbi sint manifeste, quum signorum violentiæ periculum fere connectatur, et hæc sublevando curatio potissimum constet, colligere licet, causam proximam Rubeolæ esse inflammationem specialem membranæ mucosæ pulmonis, signa catarrhalia afferentem, et demum, id est die quarto vel quinto, propter naturam ejus peculiarem, et connexionem inter membranam mucosam et cutem, papularum eruptionem concitantem. Secundum hunc conjectum, febris comitans inflammationi catarrhali primariæ tribuenda est, perinde ac quæ ullam phlegmasiam comitatur, inflammatione inducitur. Ita quoque causam explicamus quare efflorescentia admodum vivida pro bono fere habeatur; quum enim affectiones duæ violentæ raro in eodem ho-

mine simul existere queunt, ita eruptio uberior signorum catarrhalium lenimine fere stipatur. Conditionem quoque corporis vegetam plerumque indicat cum ex altera parte, subitaneus eruptionis discessus infaustus est, quippe virium prostrationem ingentem indicans, graviolem ad pulmonem determinationem denotat, et ea quidem stipatur.

SEQUELÆ RUBEOLÆ.

Siquidem narium, oris, laryngis, tracheæ atque bronchiorum, membrana mucosa primitus inflammatur, morbos pulmonis Rubeolam plerumque subsequi, nihil mirandum est. Pneumonia sequela usitata est. Phthisis pulmonalis, in diatesi tenera et scrofulosa, a tuberculorum ante existentium inflammatione, vel puris per membranam mucosam missione, exoriens, supervenire possit. Alii quoque pulmonum morbi acuti Rubeolam interdum subsequuntur. Ophthalmia hujus morbi sequela minime rara est, inflam-

mationi catarrhali tribuenda, extensione nimirum actionis inflammatoriæ, a membrana pituitaria ad nares et tunicam adnatam, oculi inflammantur. Nullo morbo ad scrofulam major proclivitas est, quam Rubeolæ, inde labii superiores et glandularum tumores, marasmus, a glandularum mesentericarum obstructione, et aurium suppuratio, sæpe sequelæ adsunt. Diarrhœa quoque Rubeolam crebro insequitur, stadii tamen provectoris nota, potius quam vere sequela est. Ubi perdebilia viscera relinquuntur, longa fit, quod interdum exitium affert. Anasarca, aliæque effusiones hydropicæ, necnon hydrocephalus acutus, nonnunquam supervenerunt. Notandum est tamen, scarlatinam multo sæpius quam Rubeolam has affectiones subsequi.

PROGNOSIS.

PRÆ cæteris partibus artis medendi, morbi eventum prædicere, imprimis difficile est et

fallax: sine longo usu quidem, et naturæ studio indefesso, id nunquam assequi possumus. Medicum idoneum, ut apposite dictum est, a homine rationali distinguit, qui utcunque eruditus, studiis fere dans operam in conclavi, ægrotantem, a quo vix abest alter, nunquam invisit. Quum hujus morbi duæ sunt species, benigna et maligna, in singulis quarum signa salutem aut periculum ægri indicantia, haud parum inter se differunt, de prognosi seorsum dicere placet.

Sydenhamius, de harum priore, usu diuturno dicens, Rubeolam morbum valde innocuum pronunciat. Quando, efflorescentia in conspectum prodeunte, modice et ex æquo totum corpus desudat; ubi, eruptione incipiente, febris decrescit, et inter desquamationem, omnino discedit, ægrum a tussi et dyspnœa solutum relinquens; ubi solitum tempus eruptio explet, et copiosa fit desquatio, innocuum haberi licet: cæterum, ubi febris vehemens, et adsunt signa pulmones laborare indicantia, aliter de eo judicare

oportet. Inde majore periculo plethorici, quam validi sed non nimium pleni, versari videntur. In qualibet tamen diathesi, febris vehemens, delirium, coma, tussis, arida, assidua, dyspnœa stipata, eventum ancipitem denotant, præsertim si eruptione decedente, diutius urgere perstant, vel graviora evadunt. Diarrhœa immodica, tussis frequens, et anxietas, omnia infausta sunt. Phthisis pulmonalis a raucitate et tussi levi, post morbi decessum manentibus, haud raro initium capit; præsertim in iis huic morbo natura proclivibus, vel qui pulmonis morbis antea laborarunt.

IN RUBEOLA MALIGNA,—Si finem versus cutis aritudo abit, et modice insudat æger; si inquietudo et anxietas diminuta sint, et convalescere incipit, tussi et dyspnœa levatis, eventum felicem sperare licet. E contrario, ubi speciem typhoidem sibi inducit febris, signa deinde exorientia, maxime infausta sunt; et hanc partem dissertationis ad finem perducam, nonnulla eo-

rum enumerando; scilicet diarrhœam immodicam, dyspnœam, delirium, una cum debilitate et oppressione maxima; ulcera vel gangrena, quamlibet partem corporis corripientia, pro pessimis semper habentur.

QUÆ CORPORE SECTO PATENT.

DE conditione morbida, per inspectionem corporum eorum qui huic morbo cesserunt, patefacta, perpauca notanda sunt. Ubi sub eruptione moritur æger, quod raro accidit, trachea et bronchiorum rami majores; ea, sicut in variola, sæpe adoperta videntur; quæ res, tussis post eruptionem incrementi causam, satis explicat. Ubi phthisi pulmonali mors tribuenda est, tumores indurati pure et ulceribus referti, in pulmonibus deteguntur; et ubi ventri tumido et febris hecticæ, glandulæ mesentericæ obduratæ inveniuntur. In Rubeola irregulari, multo major ad gangrenam proclivitas est; hinc, in iis qui Rubeola maligna interiisse memorantur,

quibusdam e visceribus gangrenam sæpe contigisse, reperimus. De Rubeola putrida, ita scribit Watson:—"Of those who died, " some sunk under laborious respiration, " more from dysenteric purging, the disease " having attacked the bowels, and of these " one died of a mortification of the rectum. " Beside this, six others died sphacelated in " one or more parts of the body. The girls " who died, most commonly became morti- " fied in the pudendum."

Idem etiam memorat "Ulcers which were " sometimes gangrenous, on the cheeks, " gums, and jaws. In some who died of la- " borious respiration, and extreme debility, " many strong adhesions were found between " the lungs and pleura. The lungs were " distended with blood, and part of them " had begun to sphacelate."

RATIO MEDENDI.

QUONIAM sicut exanthemata alia, certum decursum Rubeola peragit, et uniusmodi signis plerumque stipatur, tempore stato discedens, eam ullis remediis arcere, non medico in manu est. Ejus est, igitur, progressum observare, quæcunque signa devia vel infausta exoriuntur, coercere, et quæ ad finem lethalem perducant, reprimere. In specie benigna et regulari, ratio simplex est et facilis, quippe quod præcipue faciamus oportet, hoc est, ut pulmonum affectiones, hujus morbi terminationem nimis crebram, præcaveamus. In febre præcurrente, vix quidquam agendum est. Si æger prodire sinitur, calidiorem vestem sibi induat, carendum est. Plerumque sat est ut, prima eruptione, in lectum se recipiat, hoc enim tussis sine aliis signis non exigit. Tenuis tamen diæta sit, cibus et potus stimulantés evitandi sunt. Parvis dosibus ricini, sulphatis magnesiæ cum sennæ infusione, scammonii, vel rhæi

cum hydrargyri submuriate commisti, venter solutus teneatur.

Ubi primum celerior fit pulsus, æger lecto affigendus est, et in tepidarium descendat, quod semper gratissimum est, et perutile si munditiam alias negligi periculum est. Ne stragula nimia sint, et cum ægró lux molesta est, conclavi eripiatur. Quoniam cæli temperies nimis frigida æque ac nimis calida recte timetur, quippe quæ signa catarrhalia maxime adauget, vel quidem eruptionem rejicere potest, cura adhibeatur ut modica sit. Ita agere perge, donec ex toto febris decesserit, et inceperit cutis desquamatio, quod fere inter quartum et sextum diem evenit.

Inquietudo febrilis et cibi fastidium semper, eruptione manente, adsunt. Si sitis sit vehemens, pomis restinguatur, malorum decocto, cerevisia tenui, butyri et lactis sero, aqua frigida pura, quæ semper magis grata est quam potiones mucilaginosæ a medicis præscriptæ. His addentur thea lini, et pti-

sana aliquantulo succi citri acidula reddita. Potus cujusque generis modice et sæpius repetitus detur, sic enim oris ariditas sublevatur, sine stomachum premeudo.

Ubi primum incipit cutis desquamatio, tepidarium minime negligendum est, quippe quod pruritus levat, et præterea, cute per frictionem exsiccata, cubile a squamis furfuraceis quæ maxime molestæ sunt expeditur.

Hoc sæpe tempore supervenit diarrhœa, præsertim si primo adstricta fuerit alvus, neque coerceri debet, nisi immodica evadat, quod perrarum est, si per præcurrens et eruptionis stadium, dejectiones fuerint regulares. Si tamen ingravescit, sanguinis missione levetur.

Quæ in Rubeola benigna agenda sunt, quam breviter monstrare quum ita conatus sim, restat ut de specie graviore, nempe cui adest pulmonis inflammatio, pauca absolvam.

Subito inter efflorescentiæ initia, vel gradatim per decursum ejus, inflammatio exoriri potest. Signa attento animo observare, quam maxime necessarium est, interdum enim accidit, ut prima eruptione spiritus admodum incitatus sit, tussis frequens, et pulsus creberrimus; sed si diem crastinum vel biduum expectemus, spiritum sine sanguinis detractone, commodius trahi, reperiemus. Hujusmodi casus, ut reor, Willanus oblique tangens, ait, eos quibus, propter dubium, vel quamvis aliam causam eandem vim habentem, eventum expectare placuit, pulsum lentiolem fieri, et spirandi difficultatem unius diei finiri spatio, comperisse. Uti talem respirationis conditionem ab ea distinguamus, quæ pulmonis inflammationem comitatur, cura summa adhibenda est; nec hoc quidem admodum difficile est, quippe quarum altera adeo varia est, ut spiritum aliàs ægre aliàs facile æger trahere videatur; dum alteri ejusmodi vices nunquam adsunt, oppressionem, nullo tempore, adeo usque discedentem, ut ne quidem sentiatur. Ubi igitur thoracis dolor

et exulceratio, difficultas spirandi, anxietas et inquietudo assidua, vel cerebri inflammatio specialis, adest, sanguinis detractio, vel secundum consuetudinem, vel locali opus est, vesicatoriis adjuta, quæ maxime prosunt, sed diutius manere non debent. Gangrenam tamen, superficies vesicatorio lacerata sæpe exhibet: ubi primum igitur, fuscæ vel lividæ coloris quælibet vel minima species sese ostendit, cataplasma ex radice dauci carotæ vel rapæ brassicæ adhibeatur, vel panis et lactis, aliquanto pulveris cretæ ei consperso. Si tussis vehemens et arida sit, pectoralia demulcentia adhibendo, mucilaginosæ scilicet vel oleaceæ, levetur. Ad involvendum et corrigendum sanguinis acrimoniam, minus aliorum opinione valent, quippe quæ fauces illinendo, ideoque ab acrimoniae irritatione tuendo, vel e pulmone provenientium, vel e capite destillantium, præcipue agunt. Nihilominus ut ad metam optatam hæc species perducatur, et ex toto decedat febris, tussis sæpe molesta manet, et ægri requiem invadit. Medicaminum opiatorum auxilio, quæ hoc solo tem-

pore tuto adhiberi possunt, hæc penitus dirimi potest. Raucitas quoque, cæteris signis sæpe superest, et usu cinchonæ summoveatur*.

Ubi subito retrocedit eruptio, ad balneum tepidum recipiendum est, et dentur diaphoretica, scilicet ammonia, camphora et antimonialia. In capite de Rubeola Anginosa, Edinensium de Medicina Tractatum, sanguinis detractio, quasi remedium efficax ad eam expellendam, laudatur. Cum raro tamen occurrit, et fere sine ullo maleficio, plura de hoc desino.

Sententias diversas, de quibus disceptatum est, et etiamnum inter medicos ambigitur, non tam de utilitate venam in Rubeola ferendi, quam de tempore ad id agendum idoneo, silentio prætermittere nolo. Sanguinem

* Vide volumen tertium libri cui nomen, *Essays and Observations, Physical and Literary, on the Use of Bark in Hoarseness after the Measles*, by Dr Robert Whytt.

mitti necesse est, Mortono auctore, ubi perficitur eruptio, quo scilicet tempore ad inflammationem morbus maxime proclivis est. Idem suadet Sydenhamius, postquam discesserit eruptio, et dyspnœa successerint pneumoniæ signa. Opportunitatem ejus ante eruptionis stadium, laudibus effert Mead, qui ait, periculum maxime præcavendum, pulmonis inflammationem esse, et præmature huic non posse occurri; et Heberdeni ac Cullenii sententia est, pneumoniæ indiciis nos ducibus uti debere, et venam quolibet tempore tuto incidi.

De his qui inter initia morbi hoc opportunum esse statuunt priusquam sanguinis motus magnopere incitatus, aut eruptio facta sit, hoc tantum dico, tale remedium, rebus ita se habentibus, male vindicari. Periculo fortuito prospicere non opus est: hosti occurre instanti. Alii scalpello chirurgico uti cunctantur, donec citissimus fiat respiratus, tussis frequens, et pulsus creberrimus, quæ, prima eruptione, sæpe eveniunt; sed si per

24 horarum spatium commorati essent, necessitatem hujus remedii tentandi fallacem comperissent. Utcunque occiderit, ubi inflammationem indicant potius quam ostendunt signa, sanguinis detractio localis solitæ longe anteferenda est. Quid si revalescentis sanitatem moraremur, vel sanguinis detractio intempestiva prorsus impediremus. Ubi tamen argumenta satis valida sunt, unde inflammationem existere sciamus, venam sine mora incidamus, depletionis mensuram pro inflammationis ratione et stadio, moderantes, vires enim primo repressæ, in stadio extremo deficiunt, et tunc summa circumspeditione in omnibus tentandis opus est.

Inter VARIETATEM MALIGNAM hujus morbi curandum, ubi gravis adest inflammatio, depletio copiosa, et remedia in Rubeola benigna modo memorata, sunt tentanda. Ubi tussis molestissima, et cum febre urgente, spirandi summa difficultas, certum discrimen indicant, et siquando sanguinis detractio, et exhibitio opii, ambigua videantur, digitalis doses lar-

gas præbere convenit. Hoc auxilio, febris et dyspnœa levantur, dum ex usu opii, effectus contrarii sæpe oriuntur*. Ubi speciem typhoidem hic morbus ostendit, quæcunque infirmant, sanguinis præsertim detractio, caute aut omnino nunquam tentanda sunt. Etsi enim signa pectus laborare denotantia, tale auxilium poscere videantur, pulsus tamen debilis, et virium prostratio ingens, eorum usum adhuc fortius prohibent. Nostra cura potius sit ut ægrum medicamentis tonicis et stimulantibus sustineamus, et symptomata pectoralia sanguinis detractioe topica, et vesicatoriis, levemus, quæ multis, Watsono auctore, magno levamini erant. Dentur vinum Lusitanicum, cinchona si tussis et dyspnœa mediocria sint, tinctura opii quæ, si impeditur somnus, peropportuna est, quippe quæ non solum requiem reducit, sed ægrum roborat, et diæta nutriens sed tenuis,

* Vide Modern Practice of Physic, editionem sextam, auctore Thoma.

nisi adsit cibi inappetentia, quando typhi signa ingravescent.

AFFUSIONI FRIGIDÆ non desunt patroni: propter tamen proclivitatem ad pulmonis morbos Rubeolæ proclivitatem, et propterea quod per stadium febrile, raro exitium affert, (morbis enim sequacibus mors fere tribuenda est:) non eadem ac in morbis aliis, causa mihi videtur, quare supprimatur excitatio febrilis. Levamen haud exiguum in typho et Scarlatina oriundum, calorem e corporis superficie, per aquam frigidam, directe abstrahendo, Rubeolæ deficit. Quoniam igitur utilitatem cernere nequeo, quæ ab hac consuetudine profectura est, cæterum e contrario, causam quare metuatur, invitus vel eam ipse experiar, vel ejus alicui auctor ero.

FINIS.

nisi adit cibi inappetentia, quando typhi sig-
 na ingruerunt, et non desunt patroni;
 morboque ubi in appropinquante
 Aversione trichiae non desunt patroni;
 propter tamen proclivitatem ad febrem
 morbo Rubro proclivitatem, et propter
 quod per stadium febrile, non exitum habet
 (morbo enim scypho morbo sine trichiae
 de est) non eadem ac in morbo alio
 causa mihi videtur, quae supponitur
 ratio febrilis. Tamen haud exiguum in
 typho et scarlatina omnium calorem e cor-
 poris superficie, per aerem frigidum, directo
 abstrahendo, Rubro debet. Quoniam igitur
 ut utilitatem calore neque, quae ab hac
 consuetudine profectum est, ceterum e con-
 trario, causam quae tractatur, in istis vel
 eam ipse experiat, vel eius alium auctor ero.

FINIS.